

+ 96710

Orationes
Sylverstainianas

die XXVII. Maji MDCCCXLVI.

hora IX. antemeridiana

in Gymnasii auditorio primae classis habendas

indicit



Carolus Theophilus Anton,

Philos. Doct. et Artium liberal. Mag., Theol. Baccal., Professor regius, Gymnas.
Rect. et soc. lat. Jenens. nec non societ. Lus. sup. lit. sodal. honor. atque
in soc. theotisc. Berol. cooptatus.

Praemittitur responsio ad quinque Wisliceni quaestiones et nova
verborum Exod. III. 21. 22. et XII. 35. 36. interpretatio.

Gorlicii,
ex officina Heinziana.

96710
5 (1846)



Wisliceni (Gustavi Adolphi) Halensis¹⁾ nomen hodie quis ignorat? Sunt, qui eum admirentur ac maximis praedicent laudibus propter animi sinceritatem, qua libere profiteri ausus sit, quod alii rerum divinarum periti pectore reconditum cogitent ac sentiant. Demonstrasse sibi visus est²⁾, biblia, quae pro norma religionis christianae habentur, ejus normam esse non posse, hac quidem argumentatione: coetui ad dei cultum conjuncto norma religionis esse non potest nisi divina atque absoluta, i. e. talis, in qua nihil insit, quod norma deum colentibus esse negari debeat. Necesse est, inquit, ut quae norma religionis agnoscat, ea in omnibus et singulis partibus norma sit. Nam nisi in omnibus partibus norma habetur, partim norma est, partim non est, atque ita eversa est auctoritas divina atque absoluta. Jam dicit singula legi in bibliis, quae hodie non amplius credantur, quae quum fides iis non sit, auctoritatem nullam habeant. Sequi igitur, ut biblia nostrae religionis norma esse non possint, quippe quorum pars tantum fide digna sit, pars non sit. Quodsi rationis nostrae iudicium limites sacrorum librorum transcendat et nonnullis, quae in illis scripta inveniuntur, fidem negare non dubitet, tota biblia, i. e. totum, quod libri sacri complectuntur, non amplius fidei normam haberi posse. At nisi toti operi propter auctoritatem divinam fides sit, partibus auctoritatem concedi non posse, nisi propter argumenta, quibus pars aliqua singulatim rationi nostrae probetur. Sic eo devenit, ut rationem (Geist) per christianam doctrinam excultam pro norma religionis habeat, quia per hanc demum intelligi queat, quae,

¹⁾ Eum Magdeburgum ad sacra aedis St. Catharinae curanda abiisse, possit aliquis conjicere ex verbis meis in novissimo programmatorum ad lustrationem scholae vernam invitante, ubi in annotatione subjecta pag. 9. haec leguntur: Dieser (Uhlichius Pömmeltensis, socius Wisliceni in religione purganda) steht nebst dem G. A. Wislicenus, Pfarrer in Halle, jetzt in Magdeburg an der Spitze etc. Sed illud: „jetzt in Magdeburg“, non ad Wislicenum, sed ad Uhlichium referendum est, quod addo, ne quis per me in errorem inducatur.

²⁾ Cfr. ejus libellus: Ob Schrift? ob Geist? Lips. 1845.

licet insint bibliis, sequenda tamen non sint, et quibus contra auctoritas rata maneat. Nec tamen concedit, seculum nostrum, si normam religionis, quam biblia exhibeant, non agnoscat, a praeceptis religionis christianae descivisse, sed ultra literam sacrorum librorum progressum esse autumat, excultum quippe per ipsam. Putat, hanc esse naturam christianae religionis, ut hominum perspicientiam acuat, adjuvet, perficiat. Quae quidem perspicientia humana hodie ad majorem maturitatem evecta, quam tempore Christi, nunc ipsi videtur esse norma religionis, atque ita comparata, ut partes bibliorum, quibus auctoritas est, ab iis separare possit, quibus nulla est.

Legi autem plura in bibliis, quibus fides neganda sit, quinque quaestionibus propositis effecisse sibi videtur. Quaerit igitur: quis est, qui credat, 1) Gabaone solem cursu suo impedito substituisse (Josua X. 13.)? 2) Balaami asinam angelum vidisse ac locutam esse (Num. XXII. 28. seq.)? 3) deum jusserit Israelitas Aegyptios vasis aureis argenteisque defraudare (Exod. III. 21. 22. et XII. 35. 36.)? 4) Magos Jesum recens natum veneraturos astro quodam antecedente et super domo, in qua infans erat, consistente ductos esse (Matth. II. 9.)? ac denique 5) staterem inventum esse in ore piscis, quem Jesus capi jusserat (Matth. XVII. 27.)? Has quaestiones tanti momenti esse arbitratur, ut si quis eum refutaturus sit, eum primum ad has quaestiones respondere jubeat persuasus, neminem affirmate responsurum esse, et qui se illa credere negaverit, eum negando concedere, alia in bibliis credenda esse, alia non esse, ita ut vera religionis cognitio non possit auctoritate librorum sacrorum niti, quippe in quibus insint nonnulla repudianda, sed potius fundamentum habeat auctoritatem rationis humanae non quidem rudis, sed praestantissimis, quae continent biblia, praeceptis conformatae. Quod si diligentius examinaveris, primum te offendit, quod ratio ipsa exculta et magis perfecta esse dicitur per biblia, quae si cum Wisliceno aestimantur, ipsa sunt imperfecta, falsa veris miscentia. Deinde autem patet, religionem, quam ita ex libris sacris enucleaveris, meram rationalem esse, quae quum praeter auctoritatem rationis aliam non agnoscat, divina dici non possit, nisi quatenus ipsa ratio homini a deo data divinam habet originem. Nam per se talis religio divina auctoritate non nititur, quia nihil amplectitur, nisi quod rationi humanae probatum atque ab ea perspectum vel inventum est. Quae libri sacri docent ante Christum bene et luculenter a philosophis graecis et romanis exposita ad cultum dei spectantia, ea religio rationalis recipit, alii, quae christianae doctrinae sunt propria neque per rationem

ipsam invenienda, forsitan ne intelligenda quidem ac perspicienda, fidem denegat. Ergo est mera religio rationalis, nequaquam christiana, respuens quippe ea, quibus Christi religio ab aliis differt, quae quidem ratio ipsa nos non docet.

Hoc quidem non infitiamur, si quis sola religione rationali divino quasi spiritu incensus legi morum per naturam nobis insitae omnino satisfaciat nulla indigens nec religione divinitus patefacta, nec spe vitae futurae, in qua virtuti praemia promissa sunt, eum, qui ita virtutem colat, ut neque homines neque deum timeat, neque lucrum ullum appetat, non nisi amore boni ductus, ibi adeo, ubi ex virtute damnum atque odium hominum exspectandum sit, longe majorem ac praestantiorum esse illo, quem tantum divina religio coërcet, ne servitum libidinum subeat. Sed propter id ipsum, quod talis homo hominibus, quales vulgo sunt, longe praestat et excellit, religio rationalis, quae nullam nisi rationis humanae auctoritatem agnoscit, ad vulgus in virtutis via retinendum plane inepta reperitur. Cui si ex bibliis excerpta atque excerpta reprobare et respuere licet, quae suae rationi per libidines haud raro corruptae non conveniunt, sic sibi indulget, ut omnia sibi licere putet. Quae furtum vetant, iis alienarum rerum cupidus, quae adulterium interdicit, iis libidinibus flagrans auctoritatem negabit. Quantum religio rationalis introducta in civium domos religione christiana expulsa profecerit, exeunte seculo priore ostendit Gallia, ubi paullo post abjecta et religio christiana in auctoritatem pristinam restituta est.

Videtur igitur magni momenti esse explorare atque juvenibus literarum amantibus exponere, utrum Wislicenus suis quaestionibus auctoritatem bibliorum labefactaverit, utrum res ex bibliis depromserit, quibus fides omnino habenda non sit. Hoc patet, ad quatuor quaestiones, primam, secundam, quartam et quintam ita responderi posse, ut omnes hac una complectamur: num credis, deum facere posse et fecisse miracula? Cui quidem affirmative respondere non dubitamus. Nam constat, nosmet ipsos esse miraculum nec nisi miraculis undique circumdatos. Quod quotidie videmus, etiamsi nemo naturae rerum peritus plane ejus originem et rationem explicare possit, nobis portentum non esse videtur, quia usitatum est. Dicimus id fieri secundum leges naturae³⁾. Sed quis harum legum principia perspexit? quis penetravit in intima naturae pene-

³⁾ Sic quod portentum in nuptiis Canae celebratis factum esse, Joan. II. 1. sqq. legimus, quotannis alio modo repeti videmus. Nam in vitibus aqua in vinum mutatur. Quod quomodo fieri queat, etiam explicari non potest.

tralia? Sequitur igitur, nullum hominem demonstrare posse, quae res sit miraculum, quae non sit. Nonnulla speciem habent prodigiorum, quae non sunt prodigia. Pertinent eo praestigiae magicae, quibus fit, quod naturae ordini adversari videtur. Saepe accidit, ut quod portentum esse putatur, legibus naturae accommodatum reperiatur, si satis cognitum est atque perspectum. Neque tamen negare aliquis potest, eum, qui totum mundum, non tantum orbem terrarum, fecit et quem in eo admiramur ordinem instituit, etiam id facere posse, quod ab hoc ordine recedit. Nec quicquam est, quod deus facere nequeat. Qui negant, eum pravi quid facere posse vel id, quod repugnantiam in se habeat, profecto errant. Nam prava deus facere potest, at propter sanctitatem suam facere non vult. Non deest summo numini potestas, sed voluntas. Ergo potest quidem facere, sed nunquam facit. Pari modo falluntur, qui arbitrantur, id quod repugnantiam in se habet, esse quicquam, quum re vera nihil sit. Triangulum quadratum non est aliquid, quod deus facere nequeat, sed est nihil, quia duae notiones conjunctae sunt, quarum altera per alteram tollitur. Sic altera per alteram sublata quod restat, nihil est. Miracula autem nullam in se continent repugnantiam, sed ea est eorum ratio, ut modo a legibus naturae abeunte eveniant. Neque si miracula a legibus naturae re vera discedentia statuimus, hac re perfectionem dei imminuimus, ut nonnullis visum est. Nam si deus mira ratione neque ad leges naturae accommodate aliquid procreat, eo non ostendit, ut illi existimant, se in legibus naturae scribendis errasse ac peccasse, easque mutare aut emendare velle. Nam leges caedem porro manent, et eo quod accidit aliquid iis adversarium, non emendatur natura instituta, sed naturae auctor consilium sua majestate dignum, quo hominibus beatitatem parare studet, persequitur, quod nisi mutanda natura hominum animi ad se vocarentur, assecuturus nunquam fuisset. Ergo non dubitamus, deum miracula facere posse. Verum non certum est, ea quae miracula ab hominibus habentur, vere ratione a legibus naturae aliena esse facta. Nam quum de nulla re humanae intelligentiae imbecillitas certum facere possit iudicium, utrum secundum an contra leges naturae sit facta, nos ea miracula esse iudicamus, quae nemo ex naturae legibus satis explicare potest, si illa ad consilium dei excellentia dignum peragendum spectant. Neque auctoritatis aliquid perdunt miracula librorum sacrorum, si quis probaverit, haec omnia evenisse secundum leges naturae. Namque miraculum est in eo ipso, quod rerum conditio et ratio, qua res congruebant, eventum

produxit, qui ex legibus naturae explicari non posset, etiamsi fortasse iis non vere adversatus sit. Ex eo autem, quod quomodo aliquid accommodate ad leges naturae factum sit, homini non patet, minime manifestum est, id legibus naturae adversari, et biblia ipsa portenta fallacia (*τέρατα ψεύδους*) commemorant (2. Thess. II. 9.), et docent (Matth. XXIV. 24.), fore, ut qui se prophetas esse mentiantur prodigia magna et portenta (*σημεῖα μεγάλα καὶ τέρατα*) ad probos decipiendos edant. Magni igitur momenti est, nosse signum et notam, qua vera portenta et miracula, quae dicuntur, a falsis discernere queas. Est vero illud signum veri miraculi in eo, quod ducit ad consilium dei majestate dignum assequendum. Quo nisi ducit miraculum, fallax est. Ex hoc uno verum miraculum cognosci potest. Sic quum deus solis cursum interrumperet, hoc ei erat propositum, ut iis, qui solem ac lunam adorarent, se probaret coeli terraeque, solis ac lunae dominum, quod quidem divino numine dignum censendum est consilium. Deinde cum Balaami asinae orationem daret, hoc spectavit, ut patronus Israelitarum et religionis Mosaicae appareret, miraculo quodam adducens Balaamum Israelitis dira imprecaturum ad fausta quaeque iis apprecanda. Tum astro Magos ducente adventum Christi hominibus deus mira ratione erat annunciaturus. Denique per staterem in ore piscis inventum id effectum est, ut Christus divinam suam declararet dignitatem, neque tamen contemtor templi esse videretur. Impius enim jure esset habitus, si numum censualem solvere recusasset, idem autem dignitatem suam imminui passus esset, si illum vulgari ratione solvisset.

Nec tamen nobis est improbabile, haec quatuor miracula, quae propter consilium dei, quod per ea assecutus est, pro portentis divinis habere non dubitamus, secundum leges naturae fieri potuisse, et nihilominus portenta esse. Quod solem in cursu suo impeditum attinet, jam alio loco de hac re quid statuamus diximus⁴⁾, ubi Josuae verba cum locis aliorum poetarum contulimus. Nam esse illa ex poeta petita, aperte indicatum est. Testis enim rei narratae laudatur liber hymnorum, vel liber heroïs, i. e. in quo heroes celebrantur,

⁴⁾ Cfr. comparationis librorum sacrorum V. F. et scriptorum profanorum graecorum latinorumque pars IV., (qua ad orationes Sylvestrainianas audiendas invitavimus anno 1817.) pag. 4. seqq., ubi etiam pag. 9. versus Itali poetae Ariosti ex Orlando furioso XXXII. stroph. 11. adjecimus, quibus exornat desiderium, quo Bradamante amatum Ruggierum expectat, diem ei longiorem fuisse dicens, quam diem, de quo Josua narret, et noctem longiorem illa, qua Hercules *τριήμερος* genitus sit.

in quem eundem elegiam Davidis, quae Sauli et Jonathanis mortem deploravit, receptam esse legimus 2. Sam. I. 18. sqq. Quod si legimus: סֵפֶר הַיָּשָׁר, liber recti, est intelligendus liber, quo rectum, i. e. virtus, forte bellica, celebrata est, si autem cum aliis legere placet: סֵפֶר הַשִּׁיר, est liber carminum. Quod quidem non negligentes si locum Josuae accuratius inspicimus, nihil in eo reperimus nisi, substitisse solem in coelo et lunam, quae interdum una cum sole in coelo conspicitur, donec populus ultus esset suos hostes, i. e. victoriam reportatam esse ante solis occasum. Quod additum est, diem fuisse duplo longiorem aliis, ea est poetica amplificatio rei et exornatio. Quodsi hoc ad verbum intelligendum esse non statuimus, non tamen negamus, id fieri potuisse, quod negare si mentis humanae imbecillitas sibi arrogaret, temerarium esset, neque causa, cur ita censeamus, in eo est, quod rationi nostrae res narrata repugnet, sed in eo, quod convenit cum justa et recta explicatione interpretis, qui novit, quanta phantasiae audacia poetæ Judaeorum res descripserint. Quam qui perspectam habet, ne reperit quidem illud, in quo offenditur Wislicenus, in verbis Josuae. Neque si vividae res describendi rationis, quae hominibus orientalibus propria est, rationem habemus, quae de Balaamo narrantur, tam mira sunt, quam si hanc neglexeris videntur. Nam phantasia Hebraeorum cogitatis verba substituit, et ita colloquia cum bestiis existunt. Si asina verba elocuta esse dicitur, hoc nihil aliud significat, quam ejus motibus et eo, quod saepius consternata erat, in mente Balaami cogitationes exortas esse, quas suis verbis asina excitasse narratur, sicut serpens cogitata motibus suis excitasse putandus est in animo Evae (Gen. III.). Quum Balaamo dubium esset (Num. XXII. 12. coll. 18.), utrum recte facturus sit, si Israelitis dira imprecaretur, impedimenta in itinere ipsi obvia, quae qualia fuerint, non expositum est, animi angorem et perturbationem ei injecerunt, qua affectus asinam aspere tractavit, quae forte vultu, non oratione ea indicavit, quae v. 28. et 30. legimus. Quodsi angelus nominatur (v. 22. 24. 26. 31. 32. 35.), qui Balaami consilium mutaverit, hoc nihil aliud significat, quam singulari divini numinis providentia, qua asina saepius consternata progredi noluerit, Balaamum abjecisse consilium deo improbatum, quum quod facturus esset secum reputasset, et coepisse resipiscere. Sic rationis humanae est, libros sacros ex more scriptorum interpretari, non autem ad literam intellecta, quod fidem mereri non videntur, respuere. Ita neque in hoc loco inesse putamus id, quod biblia Wisliceno fecit suspecta. Quae autem de stella, qua Jesu partus indicatus sit, in N. F. narrantur, ita comparata sunt,

ut secundum naturae leges facta esse possint. Nam *ἀστήρ* non tantum est stella vel sidus, quod pluribus constat stellis, sed etiam quaeque species per aërem conspicua, quod satis docent verba Homeri (Iliad. IV. 75.)

οἷον δ' ἀστέρα ἦκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω,
ἢ ναύτησι τέρας, ἢ στρατῶ εὐρέϊ λαῶν,
λαμπρόν.

Namque ipse *ἀστέρα* interpretatur *τέρας λαμπρόν*, splendidum portentum, et quum deinde addat, huic stellae similem descendisse Minervam in terram, manifesto patet, intelligendum esse meteoron, quod in terram ex aëre delabi solet. Etiam in scholiis ita exponitur: *ἀστεροειδές τι οἷον κομήτης ἢ σκηπτῶν τι εἶδος. ἢ ὁποῖοι οἱ διάττοντες, ὧν ἡ γένεσις ἀέρος στροφή.* Nec tamen omnino verum est et usu comprobatum, quod Eustathius (tom. I. edit. Weigel. pag. 358., et tom. II. pag. 4.) dicit, *ἀστήρ* vocabulum stellam singulam, *ἄστρον* sidus indicare: *ἀστήρ μὲν ἐν τὶ ἐστὶ σῶμα, ἄστρον δὲ ζώδιόν τι ἐκ πολλῶν ἀστέρων συγχείμενον*, quamquam addit, a posterioribus haec vocabula commutari. Namque Homerus ipse (Iliad. XXII. 25 sqq.) haec habet:

τὸν δ' ὁ γέρον Πρίαμος πρῶτος ἔδεν ὀφθαλμοῖσι
παμφαίνουθ', ὥστ' ἀστέρ', ἐπεσσύμενον πεδίῳ
ὅς ῥά τ' ὀπώρης εἶσιν ἀρίζηλοι δὲ οἱ αὐγαὶ
φαίνονται πολλοῖσι μετ' ἄστρασι⁵⁾ νυκτὸς ἀμολγῶ
ὄν τε κύν' Ὀρίωνος ἐπίκλησιν καλέουσι.

Ex quibus verbis clarum est, vocabulum *ἀστήρ* dictum esse de cane Orionis, canis Orionis autem sidus est, non stella singula. Quodsi igitur apud Matthaeum non stellam, sed speciem quandam fulgidam stellae similem intelligere licet, via ad leges naturae accommodata potest factum esse, ut illo ipso tempore, quo Jesus natus est, appareret ejusmodi species cursum suum dirigens eo, ubi natus erat, consilio dei sanctissimo, ut portentum conspectum divinum legatum insigniret. Mirum ergo id tantum est, quod illa species neque alio tempore, nec sub alia rerum conditione conspicua facta est. Nos rem pro miraculo ha-

⁵⁾ non *ἀστράσι*, quomodo multi veterum scriptionem ad modum dativorum *ἀνδράσι*, *θυγατράσι* mutaverunt; nam ut auctoritatem veterum in talibus sequamur monet Frid. Aug. Wolfius (Literarische Analekten tom. I. p. 470.), qui putat antiquos comparasse *ἔγκασι*, *προσώπασι* ac similia.

bemus non, quia ex legibus naturae explicari nequeat, sed quia Jesu auctoritatem divinam hominibus confirmavit. Denique quae de statere in bibliis leguntur in ore piscis invento, ea vix ullus putare potest praeter naturae leges accidisse. Nam numum, qualis stater erat, a pisce devoratum esse, non est, quod cum naturae legibus pugnet, sed iis plane est consentaneum. Mirum tantum id est, quod accidit illo ipso tempore, et hic neque alius piscis captus est, ut Jesu ignotarum rerum scientia declararetur. Videmur igitur his argumentis probasse, quatuor illas quaestiones Wisliceni non esse ejusmodi, ut iis auctoritas librorum sacrorum subruere et tolli queat. Nam partim videtur non intellexisse, qualis sit populi orientalis, ingenti vi phantasiae instructi, modus dicendi, quae ratio res gestas legenti ante oculos ducendi, partim non animadvertisse, ea, quae, quia ipsi non satis probabilia sunt, credere non vult, secundum leges naturae evenire potuisse, partim denique arbitratus esse, deum omnium rerum praepotentem nonnulla facere non posse, quia de eo, quod fieri queat, quod non queat, iudicium sibi arrogavit. Quod quam fallax sit, id maxime testatur, quod quae veteres narrant de lapidibus ex aëre delapsis⁶⁾, inter fabulas absurdas per plura secula relata sunt, quasi sint ejusmodi, quae fieri omnino non potuerint. Hodie lapides ex aëre decidisse nemo ignorat. Atque hoc factum esse luculentissime ostendit, interdum accidere quod ex legibus naturae non possit explicari. Nam originem lapidum illorum rerum naturae periti nondum investigarunt.

At ne quis putet, nos argumentatione nostra orbem fecisse, si id pro miraculo habemus, quod ad confirmandam divulgandamque faciat doctrinam divinam, quia ipsa doctrinae divinitas non possit nisi ex miraculis cognosci, hanc ex miraculis intelligi negamus. Nam id nobis constat, miracula non per se, sed ex ratione, qua divinae doctrinae auctoritatem confirmant, perspicui atque agnoscendi. De divinitate religionis praeunte Jesu ita iudicamus: *εάν τις θέλη τὸ θέλημα αὐτοῦ (dei) ποιῆν, γνώσεται περὶ τῆς διδαχῆς, πότερον ἐκ τοῦ θεοῦ ἐστίν, ἢ ἐγὼ ἀπ' ἑμαυτοῦ λαλῶ.* (Jo. VII. 17.). Qui Jesu prae-

⁶⁾ De lapidibus ex aëre delapsis, quorum etiam apud Josuam (X. 11.) mentio fit, quid sentiamus, diximus olim in comparationis librorum sacrorum V. F. et scriptorum profanorum gr. et latin. parte V. anno 1818, pag. 3. sqq. coll. part. IV. pag. 4., ubi etiam laudavimus Ilgenii programma de imbre lapideo et solis ac lunae mora inter pugnam Israelitarum sub Josuae auspiciis cum Amoraeis, Lips. 1793., quae commentatio typis repetita est in Car. Dav. Ilgenii Opusculis variis philologicis, Vol. I. Erford. 1797. V. pag. 185. — 246.

cepta sequitur, ex ipsa natura doctrinae divinitatem ejus cognosceret. Portenta vel miracula religionem divinam esse non probaverunt, sed tantummodo prohibuerunt, quominus homines doctrinam Jesu contemnerent contemtamque negligerent, eosque incitabant, ut eam examinarent examinatamque reciperent.

Sed si ad tertiam, quam Wislicenus proposuit, quaestionem accedimus, plane alia rei ratio est. In illa enim de fide miraculis neganda non loquitur, sed de male facto, quod deus commisisse narratur, quod tamen sapiens credere nequaquam potest. Quod maleficium si deum commisisse biblia narrarent, profecto incassum operam daremus, ut impugnatam a Wisliceno auctoritatem librorum sacrorum sustentaremus. Nam si quod sanctitati numinis divini adversatur, a deo jussum esse, biblia referrent, id qui credere vellet, insipientissimus esset. Quod autem maxime miramur, quae Exod. III. 21. 22. et XII. 35. 36. de scelere a deo praecepto narrari putant, omnes videntur perperam intellexisse. Quare liceat nobis novam horum verborum proponere interpretationem, quae sicut re ipsa, quia secundum eam deus nihil jussit, nisi quod eum ipsius sanctitate plane convenit, ita verborum constructione comprobatur. Sunt vero verba hebraica ita in latinum sermonem transferenda: Favorem Aegyptiorum vobis conciliabo, ne vacui egrediamini. Mulieres enim a vicinis et hospitibus vasa argentea atque aurea et vestes rogent, quibus liberos vestros oneretis, atque ita Aegyptum servabitis (III. 21. 22.). — Rogaverat populus Aegyptios vasa argentea atque aurea et vestes. Et Jova favorem Aegyptiorum ei conciliaverat, ut darent rogata. Atque ita Aegyptum servarunt. (XII. 35. 36.). Quae si quis legerit, mirabitur, Lutherum cum aliis interpretibus haec reddidisse germanice: Und ich will diesem Volke Gnade geben vor den Egyptern, dass, wenn ihr ausziehet, nicht leer ausziehet, sondern ein jeglich Weib soll von ihrer Nachbarin und Hausgenossen fordern silberne und güldene Gefässe und Kleider, die sollt ihr auf euere Söhne und Töchter legen, und den Egyptern entwenden. — Und die Kinder Israel hatten von den Egyptern gefordert silberne und güldene Geräthe und Kleider. Dazu hatte der Herr dem Volke Gnade gegeben vor den Egyptern, dass sie ihnen leiheten, und entwandtens den Egyptern.⁷⁾ Vocabulum: entwenden, i. e. surri-

⁷⁾ In bibliis jam ante Lutherum in germanicum sermonem translatis, quae asservantur in bibliotheca Milichiana Gymnasii nostri, et anno MCCCCLXII typis exscripta esse putantur, priore loco legimus: vnd ir beraubt egipt, posteriore vero: vnd sy beraubten die egiptier.

pere, fraude auferre, Wislicenum eo adduxit, ut putaret, deum jussisse pessimam fraudem, qua Israelitae Aegyptiis res pretiosas eriperent; idque si Lutherum, non biblia ipsa sequimur, eo probabilius est, quod Israelitae petisse dicuntur, ut sibi commodarentur illa vasa quasi reddituris, quae tamen non reddiderunt, quem quidem dolum nefarium qui a deo praeceptum esse credere queat, eum jure impium et sanctitatis divini numinis ignarum habere debemus. Sed nihil de dolo, nihil de raptu in verbis hebraicis inest. Nam Aegyptios non commodasse Israelitis vasa illa, sed dono dedisse, ex eo patet, quod legimus: **רָתַתִּי אֶת־חֶן בְּעֵינֵי מִצְרַיִם**, et deinde **וַיִּזְרַח־נָתַן אֶת־חֶן בְּעֵינֵי מִצְרַיִם**, deus favorem Aegyptiorum Israelitis conciliavit; hic enim favor, haec benevolentia inerat in largitione. Bene haec exposuit Josephus Antiqq. Jud. II. 5. 13. *δώροις τε τοὺς Ἑβραίουσ ἐτίμων, οἱ μὲν ὑπὲρ τοῦ τάχιον ἐξελεῖν, οἱ δὲ καὶ κατὰ γειτνιακὴν πρὸς αὐτοὺς συνήθειαν. καὶ οἱ μὲν ἐξέισαν κλαιόντων καὶ μετανοούντων, ὅτι χρῆσαιντο χαλεπῶς αὐτοῖς, τῶν Αἰγυπτίων.* Dederunt dona abeuntibus, alii quo celerius abirent, alii propter consuetudinem, quae vicinis esse solet, et profecti sunt flentibus et respiscentibus, quod male tractaverant eos, Aegyptiis. Igitur dona dabant partim ex amore, partim quo celerius abirent, quod videbant, si Israelitae diutius secum viverent, sibi alias multas calamitates esse metuendas (Exod. III. 20. VII. VIII. IX. X. XI.). Ergo nequaquam idonea caussa est, quae nos ducat ad opinionem, commodata illa vasa esse Israelitis, sed quae describitur rerum conditio, ejusmodi est, ut Israelitis ea data esse, maxime sit probabile.

Idem nos docet verbum **הִשָּׁאֵף**, quod utroque loco et Exod. XI. 2. de eadem re legitur et nihil aliud est, quam: rogavit. Quod cur h. l. aliud significet: mutuum petiit ab aliquo, non intelligimus, quia Aegyptii favore Israelitas amplexi et calamitates novas timentes ad largiendum parati fuisse videntur, ac si de rebus mutuo dandis interpretatus fueris, extricatur ex verbo, quod deo plane indignum est. At si **הִשָּׁאֵף** III. 22. et XII. 35. idem significat, quod vulgo: rogare simpliciter, ut aliquid detur, etiam in conjugatione Hiphil. XII. 36. non est, nisi: rogatum dare. Si explicas: mutuum dare, hoc plane ad arbitrium nulla idonea caussa facis. Quodsi comparamus Hiphil verbi **הִשָּׁאֵף** 1. Sam. I. 28., hujus significationem similem reperimus. Est enim ibi: id quod impetratum, precibus acceptum erat, reddere. Dicitur enim Hanna Samuelem filium, quem sibi expetierat expetiturumque impetraverat, deo reddidisse, i. e. deo, ut ei ministraret, consecravisse ac tradidisse. Qui interpretari velit: Hanna filium impetratum deo

mutuum dedit, verbis alieni quid inferret. Nam v. 11. voverat, se daturam esse deo filium per totam ejus vitam, et pro **לְשֵׁנֵי** legitur **נָתַן**, ita, ut illud de re mutuo danda intelligi omnino non possit.

At videamus, quomodo septuaginta interpretes **רַחֲמַנֵּי** intellexerint, quod tamen non satis certum est. Nam graece reddunt: *ἐχορησαν αὐτοῖς*. *Χράω* autem nihil est aliud, quam: do alicui, quod ei opus est, do ei, quod postulavit, ita, ut ei, quam ipsi dedimus, interpretationi plane accommodatum sit. Interdum tamen *χράω* idem est, quod *κίχρημι* vel *κίχράω*, mutuum do, qua quidem voce in verbis 1. Sam. I. 28. transferendis Alexandrini interpretes usi sunt, ita quidem ea graece reddentes: *κίχρω αὐτὸν τῷ κυρίῳ πάσας τὰς ἡμέρας, ἄς ζῆ αὐτὸς, χρεῖσιν τῷ κυρίῳ*, ubi tamen quod per omnes vitae dies mutuo dandus est, eum nunquam reddendum esse indicat. Quodsi Herodotum consulere velis, *χράειν* potius denotare videtur: rogatum dare, quam: mutuum dare. Nam lib. VI. 89. *χρηῖσαι* ita legitur, ut idem sit atque *δοτίνην δοῦναι*, dono aliquid dare, non autem: commodare aliquid, quod reddas. Nam oppositum est: dare pretio quodam accepto, i. e. vendere. Ibidem lib. VII. 38. *χρηῖσαι* manifesto significat: utinam mihi concedas, quod rogo, utinam des, quod mihi opus est. De re mutuo danda nihil omnino dicitur. Ibidem III. 58. *χρηῖσαι* vulgo interpretantur: commodare, non: praeberere. Sed qua de caussa, non liquet, quum quod precibus negatis factum esse narratur, animum prodere videatur inimicissimum, qui sibi praeberi non commodari vult, quod potius amici est.

Sed in quo rei cardo vertitur, est verbum **נָצַל**, quod plane aliud significare putamus, quam vulgo existimant. Nam III. 22. haec leguntur: **וְנָצַלְתֶּם אֶת-מִצְרַיִם**, et XII. 36. haec: **וְנָצַלְתֶּם אֶת-מִצְרַיִם**, quod vulgo Alexandrinos interpretes secuti ita intelligunt: spoliabitis Aegyptios — et spoliaverunt Aegyptios; quae etiam est Lutheri explicatio. LXX. habent priore loco: *καὶ σκυλεύσατε τοὺς Αἰγυπτίους*, altero: *καὶ ἐσκύλευσαν τοὺς Αἰγυπτίους*. Utroque loco verbum dubium est, quum ei substitutum sit: *συσκευάσατε* et *ἐσκευάσαν*. *σκυλεύειν* est i. q. spoliare, *συσκευάζειν* i. q. colligere, convasare, iter apparare. Prius illud, quod vulgo legitur, plurimos interpretes in falsam viam duxit. Sic Dathius priore loco interpretatus est: vasa Aegyptiis eripietis, et altero: vasa Aegyptiis ablata sunt. Rosenmüllerus (in scholl. in V. T. part 1.), quia verbum: spoliare veritati rei narratae adversari arbitrat, nihil aliud per **נָצַל** indicari dicit, nisi: secum ducere. Quum tamen, hanc esse hujus verbi sen-

tentiam, probari nequeat, quae prima ejus sit significatio videamus, quo facto facillimum erit intellectu, quid narratum sit, idque a fraude et furto alienissimum esse. **נִצֵּל**, ejus **Kal** non reperitur, in **Piel** denotat: eripuit, extraxit. Eo, de quo disserimus loco, idem etiam legitur **Piel**. Ergo quid significet, non potest dubium esse. Sed oportet, ut duplex constructio verbi observetur, quam vulgo neglexerunt. Nam si conjunctum est cum **ל**, nota dativi, ut **2. Chron. XX. 25.**, est: eripere alicui aliquid, **וַיִּנְצְלוּ לָהֶם**, et eripuerunt iis sc. praedam repertam, sed aliud plane significat, si connexum est cum accusativo, ut **Ezech. XIV. 14.** **וַיִּנְצְלוּ נַפְשָׁם** eripient animam, vitam suam Noachus, Daniel et Jobus sc. ex periculo, i. e. servabuntur. Ipsa rei natura docet, eripere alicui aliquid, esse: eum aliqua re privare, contra: eripere aliquem vel aliquid, idem significare atque: aliquem vel aliquid eripere ex periculo, calamitate i. e. aliquem vel aliquid servare. Quae quum ita sint, dubium non est, quin **נִצֵּל** **Exod. III. 22.** et **XII. 36.**, ubi conjunctum est cum **אֶת-מִצְרַיִם** i. e. cum accusativo, non possit aliud denotare, quam: servare, eripere ex calamitate. Neque id quisquam mirari potest, quod **אֶת** in verbis **Exodi**, non autem in verbis **Ezechielis** legitur. Nam **אֶת** a poetis, inter quos prophetae etiam numerandi sunt, rarius adjici, ex Gesenii grammatica hebraica tironibus cognitum est. Non igitur scriptum legimus: eripietis Aegyptiis sc. vasa, sed: eripietis Aegyptios sc. calamitatibus, quae **Exod. III. 20.** terram maxime vexaturae esse et **cap. VII. — XI.** valde vexavisse dicuntur.

Sic rerum conditio, quae accuratissime descripta legitur, nostram interpretationem probat; nam satis declarat, calamitates Aegypto a deo immissas cessare non potuisse, nisi post discessum Israelitarum, quo quidem Aegyptii ab illis malis re vera liberati et servati sunt, atque etiam ex interpretatione verborum, quam dedimus, simul apparet, cur Aegyptii ad res pretiosas Israelitis largiendas prompti fuerint, quia his largitionibus se calamitatibus liberatum iri sperabant.

His ita expositis salva numinis divini sanctitate credere potes, quae **Exod. III. 26.** et **XII. 36.** narrantur, neque est, quod tibi suspecta sint.

Sed jam nobis indicenda sunt solemnna a nostro Gymnasio Rudolpho Ferdinando Libero Baroni a Sylverstain et Pilnickau crastino die celebranda, cujus vix unquam interire possunt merita a nobis gratissimo animo quotannis recolenda, quorum quidem haec erit ratio.

Primum ipse disseram de agendi ratione, qua discipuli magistros sibi meliores facere queant ac deteriores.

Deinde tres juvenes Gymnasio nostro adscripti, qui beneficio Sylverstainiano fruuntur, verba facient,

Udo Fridericus Maria Fischer, Gorlicensis, civis primae classis, de officio hominis, ut sit ad quosque futuri temporis eventus semper paratus,

Carolus Rudolphus Robertus Geissler, Sprottaviensis, secundae classis scholis qui interest, de memoria mortuorum venerabilium maxime colenda, ac


Pistotheus Orthobius Leopoldus Gramm, Hartmannidorpio-Saganus, tertiae classis alumnus, de literarum studiosis primum in civitate locum merentibus.

Quibus orationibus patrio sermone memoriam fautoris beneficentissimi praedicantibus si fautores Gymnasii aequo animo interesse velint, gratiam iis magistris ac discipulis Gymnasii pro benevolentia hac re praestita pio habebunt animo.

P. P. die XXVI. Maji MDCCCXLVI.

TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007



Faint, illegible text from the reverse side of the page is visible through the paper.